

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Io. Rvdolph. Engav Ivrivm D. & P.P.O. In Academia Ienensi
Elementa Ivris Criminalis Germanico-Carolini**

Engau, Johann Rudolph

Jenae, MDCCXLVIII.

VD18 12413879

Tit. III. De Veris Et Qvasi Criminibvs In Genere.

urn:nbn:de:gbv:45:1-10011

mitti permiserunt y), habent rata, ut lucrum ex iis perciperent; (b) qui ratihabitione sua delinquentes magis magisque ad delinquendum inuitarant z).

§. XXX.

Delictum, cuius committendi tempore excubiis? re excubias egisti, itidem cuius auctorem suscepisti, mox plene mox minus plene participas.

TIT. III.

DE

VERIS ET QVASI CRIMINIBVS
IN GENERE.

§. XXXI.

Crimen est delictum auctori suo impu- Crimina
tari debitum (§. XIV.). Diuiditur in
uerum & qu. tale, prout dolo malo, i. e.
prælucente intellectu & decernente uo-
luntate, aut culpa perpetratum est.

§. XXXII.

Criminum non eadem solum sunt di- in maiora &
uisiones, quas delictorum esse diximus *minora, iti-*
(§. XV. seq.), sed hæ quoque antiquitus ^{dem}
sunt probatæ, quod (1) alia sint *maiora*,
minora alia, prout in cute & capillis a), aut
B 3 manu

y) THEODOR. c. l. seq. *Consil. - Crim.* 4.
p. 90. HEROLD *de ra-* nr. 4.
tificatione p. 325. a) *I. P. Alem.* c. 74.
z) FARINAC. *pr.* 166. §. 3. ed. SCHILT.
crimin. q. 135. n. 87. *I. P. S.* II, 13.

manu uitae coercitio scelerati fiebat *.
Cui hodie recepta criminum diuisio (2)
in *capitalia* & *non capitalia* respondet.

* Germani hanc criminum diuisionem ex Cod. Theodosiano desumisse uidentur PVFENDORFIO *de iurisd. german.* p. II. sect. 2. c. I. §. 41. qui §. 42. ea crimina habet maiora, quorum coercitio fustium antiquam poenam, uel exilium temporale uel certa rei interdictionem excedebat olim.

§. XXXIII.

in publi-
ca & pri-
uata diui-
duntur.

Criminum diuisio (3) in *publica* & *pri-
uata*, illorumque subdiuisio (4) in *ordina-
ria* & *extraordinaria*, ex iudiciorum Ro.
forma natae, in Germania uix applicari
queunt. Sunt quidem Dd. istis diuisio-
nibus utentes, sed non omnes eodem si-
gnificatu. Satisfactionem, ad quam ten-
dit poena, quae sumitur *b)*, attendunt *alii, alii*
iudicium, propter delictum commissum
institui solitum *c)*; *alii*, illud consideran-
dum putant: num delinquens priuatum
an remp. primario laeserit?

§. XXXIV.

Eorum rei
sunt, qui do-
lo malo,
neutiquam
uero

Vnde constare puto (1) dolum sine de-
licto, & delictum sine dolo, sicque (2) de-
licto casu fortuito *, uel (3) ab eo, qui
rationis usu, uoluntatis libertate aut cog-
nita diiudicandi norma destitutus fuit, pa-
tra-

b) POLAC *Syst. Jurispr. Germ. ant.* III, I. 5
c) HEINECCIUS *Elem. Iur. Germ.* Tom. II. lib. II. §. 9.

tratum, uerum crimen uix constituere;
(4) eum, qui dolo malo delictum com-
mittere uoluit, nec tamen perficere potuit,
intentati criminis reum esse, nisi lex ad-
sit, quæ conatum pro crimine perfecto
haberi iubeat; (5) animum esse, qui cri-
mina inter se, & a delictis distinguat *d*);
(6) neminem, dum licita agit, crimen
committere, (7) eum uero, qui rebus
illicitis sciens uolensque operam dedit,
iure meritoque dici dolosum auctorem
delictorum, quæ necessario *e*), non ue-
ro eorum, quæ præter spem & opinio-
nem, secuta sunt *f*).

* Delicta casualia maioribus nostris fuisse quasi cri-
mina, perperam statuit HEINECCIUS *El. I. G.*
Tom. II. §. 3. 4. Textus enim, ad quos pro-
uocat, scilicet *L. Sax. tit. XII. L. Frison. addit.*
tit. 3. I. P. S. II, 14. & 38. Sueu. c. 227. Weichb.
art. 38. de casibus, quibus culpa præcessit, loquuntur,
conuenientes cum L. Wisig. VI, 5, 4. XI, 1, 6.
Capit. VII, 297. L. Longob. I, 11, 2.

§. XXXV.

Quia delicta eorum, qui rationis usu qui priuati
sunt priuati, falso habentur crimina (§. 1) rationis
pr. 3.): in criminosis uix possunt esse (1) usu, utpote
infantes, (2) pueri *g*)*, licet ueniam a) furiosi
ætatis impetrauerint, (3) in quos qua- &c.
drat

B 4

d) 14. ad *L. Corn. de sicar.* *g*) *C. C. art. 164.*
e) arg. *C. C. C. art. 148.* SCHULTZ *d. de delict.*
§. 2. *pueror. III. BOEHMER*
f) CAEPOLLA *consil. 36.* *I. E. P. V, 23.*

drat illud: bis pueri senes, (4) furiosi **, (5) dementes b) ***, (6) absolute melancholici, (7) quos canis momordit rabidus i), (8) ceterique id genus miserabiles homines; itidem (9) furdi & muti natura tales k), (10) somnoque penitus sepulti l).

* Dummodo, ut cum Apuleio loquar, non sint prius robusti scelere, quam tempore; ante nocentes, quam potentes; uiridi pueritia, cana malitia. MATTHAEI c. l. proleg. c. 2. n. 2.

** I. P. S. III, 3. Suet. c. 145. nisi eos tempore dilucidi interualli deliquisse constet. V. FROMMANN *hypoth. iuris furiosor.* p. 76. seq. nr. 6. 10.

*** Quia plures dantur dementiae gradus, doctrinam de delictis mente captorum arbitrariam habuit MENOCHIVS de *A. I. Q.* lib. II. c. 529. atque poenas dementium a Ictis determinari iussit Carolus C. C. art. 179.

§. XXXVI.

b) temulenti

Porro non est, cur criminosis annumeres (11) *temulentos*, ex quibus mens, bonum

b) STRYK de *dementia & melancholia* LEYSER *spec.* DXXXII.

i) Sritschens *seltsam. Geschichte* p. II. nr. 3. VERDRIES *disq. de ueneno canis & animalium rabidorum, nec non quem illud inferre solet, morbo*

grauissimo, hydrophobia.

k) KRESS vom R. der taub und stumm geb. c. 1. §. 16.

l) THOMASII d. de *iure circa somnum.* c. 5. §. 16. FARINAC. *pr. cr.* q. 92. nr. 46. seq. q. 94. n. 1. seq.

num a malo fecernens, exulauit delicti commissi tempore * m).

* Ipsa licet ebrietas, Ord. Pol. 1577. tit. 8. Ref. Pol. 1584. tit. vom Zutrincken, & in singularibus Regum Polon. & Boruff. edictis, uertatur uitio, sicque non esse uideatur, cur quis, ea laudata, se a crimine defendere possit; tamen iubet ratio, statuitque praxis, criminofum esse nonnisi eum, qui deliquit (a) ebriofus, aut (b) leui uel (c) adfectata ebrietate sopitus.

§. XXXVII.

Quo se crimine liberent, habebunt de- c) summe
nique (12) qui ex iusta causa ad summam irati &c.
iram, nimium dolorem aut furiosum amo-
rem n) inducti, sicque mentis usu priuati
deliquerunt, neutiquam uero, qui leui-
bus, aut ex actu illicito contractis adfe-
ctibus occupati contra leges egerunt.

§. XXXVIII.

Num error a dolo excuset? haud ra- d) in facto
ro quaeritur. Equidem eum, quem error errantes
facti totius illiusque causae, inuincibilis
praesertim, duxit, in totum; illum contra,
qui ab obiecto aberrauit, in tantum h. e.
nouae, quam crimen induit, qualitatis in-
tuitu o), excusandum esse putarem.

B 5 §. XXXIX.

m) BODINI d. de delictis pro amico.
iure circa ebr. c. 4. o) BLVMLACHER
BECHMANN d. de poe- ad C. C. art. 117. n. II.
na & iure ebr. c. 5. CARPZOV. pr. cr. q.
n) SCHVLTZ d. de 174. n. 69. 97.

§. XXXIX.

2) uoluntatis libertate, aut

Si delicta, commissa tempore, quo eorum auctor ab alterius pependit arbitrio, crimina dici nequeunt (§. XXXIV, 3.): sequitur, ut criminosi non sint habendi, (1) qui ad iussum *principis** eiusue magistratus, cuius potestas cum principali fere coincidit *p*), aut (2) officio suo satisfacturi, aut (3) eam *uim* externam, cui *resistere non potuerunt*, passi *q*), (4) eoue *metu*, qui in uirum constantem cadit, capti *r*), aut (5) *opportunitate commoda* ad delinquendum inopinato inuitati &c. deliquerunt.

* Ad iniustum uero, quem cognouit, patris, domini, maritue sui iussum, qui, quæue deliquit, crimen commisit, sed commiseratione aliqua dignum. LEYSER c. sp. med. 5.

§. XL.

3) norma diiudicandi, deliquerunt, dummodo

Quos norma licitum & illicitum diiudicandi, quando illicitum perpetrant, destituit, in criminosis non sunt (§. XXXIV. 3.). Itaque causam esse reor, ex qua a criminibus (1) iure naturæ notatis, *inter bruta educati*, & (2) iis, quæ leges ciuiles admodum speciales designant, *peregrinantes*,

p) FARINACIUS c. l. q. 97. n. 5. FAVST a STROMBERG de criminibus p. 12. LEYSER sp. DXXXIV. m. 7.

q) STRYK de iure necessitatis c. 2.

r) GRANTZ defens. inquis. c. VI. m. 2. sect. 2. art. 7.



nantes, qui ante paucas aduenerunt horas, se liberare possunt.

§. XLI.

Quotquot (1) *furorem* uel *ebrietatem* rationis u-
sibi quæsiuerunt, aut (2) alterius *imperio* su, uolunta-
se subiecerunt, ut eo facilius delinque- te aut nor-
rent; itidem (3) qui *somnum* capturi ma diudi-
omnem curam defixerunt in eo facinore, eandi se ipsi
quod somno dati peregerunt s), & denique non priua-
(4) qui *adfectus* seruarunt suos ad tempus uerint.
usque delinquendi commodum: uix ca-
rent dolo, nec sunt extra crimen positi.

§. XLII.

Quia personæ in unum congregatæ Quando in
non minus atque singulæ intellectus uo- criminosis
luntatisque sunt participes: certe uniuersitas, aut
fit uniuersitas, aut
cuius membra signo dato collecta,
præuia deliberatione delictum aliquod
decreuerunt, decretumque patrarunt, in
criminosis erit t).

§. XLIII.

Quod si uero ciuitas de delicto perpe- quædam
trando uel plane non uel per plurima tan- tantum il-
tum uota conuenerit: delictum postea lius mem-
patratum singulis illius auctoribus u), non bra?
uniuersitati, uertendum erit crimini.

§. XLIV.

s) THOMASIVS d. de iure circa somnum & somnia c. V. §. 8. u) GRANTZ c. l. c. IV. m. I. sect. I. nr. 253. seq. GAIL. de P. P. II, 9. THEODORICI c. l. c. X. aph. 3. n. 15.
t) GVNDLING d. de uniuers. delinqu. LEYSER d. de delictis colleg.

§. XLIV.

Socius criminis quis fit?

Fallor, aut socius criminis ille est, qui delicto (§. XIV.) sciens uolensque (§. XXXIV. seq.) efficienter (§. XXIII. seq.) antecessit *x*).

§. XLV.

A societate sceleris quænam liberent? speciatim

Hinc quilibet societatis sceleris accusatus, (1) gaudet exceptione *delicti* uel *doli*, si non in totum, in tantum tamen, *deficientis*; (2) ex iisdem causis, ex quibus signifer, dolo carere uidetur. Profunt itaque ei (a) lubrica ætas (§. XXXV, 1.), (b) furor (§. eod. 4.), (c) summa ebrietas (§. XXXVI.), (d) ira, quæ furor breuis est (§. XXXVII.), (e) certus, præsertim inuincibilis, in facto error (§. XXXVIII.), (f) adempta uoluntatis libertas (§. XXXIX.), (g) defectus normæ diiudicandi (§. XL.) &c.

§. XLVI.

mandantem

Vnde nullus dubito, quin (1) eum, qui illud mandauit delictum, quod (a) intellectu consequi non potuit, uel (b) iusta de causa factum licitum habuit, uel (c) ut mandaret, coactus est, *in totum*, illum uero (2) qui dolo quidem malo delictum aliquod mandauit, sed illud, quod secutum est, uel plane non uel minus plene participat, *in tantum* se excusare posse statuerem.

§. XLVII.

x) COCCERII d. de socio criminis.

§ XLVII.

Mandatarius porro (1) cui nulla fuit ^{mandata-}potestas ^{rium,}mandatum superhabendi, criminis omnino expers est; (2) ille uero, cui actionem ex iusta causa legibusque permittentibus demandari uisum est y), uel saltem causæ demandatæ iustitiam examinare non conuenit, criminis patrati quodammodo particeps. Id quod de eo quoque dictum uelim, qui mandatum quidem dolo malo suscepit, nec tamen persecutus est.

§ XLVIII.

Sic quoque eum (1) qui consilium ^{consulto-}simplex dolo malo dedit, ^{rem,}*delicti deficientis*, & (2) illum, qui modum delinquendi consilio subministravit, destitutus tamen rationis usu, uoluntatis libertate aut norma diiudicandi, *doli deficientis* excusatio a patrato uindicat crimine. Contra (3) turpis & minime accipienda est excusatio *consilii*, quo delicturum instruxisti dolo malo, crimine nondum peracto *re-uocati*.

§ XLIX.

Quæ de *mandante* (§. XLVI.) & *consul-* ^{adiutorem,}*tore* (§. XLVIII.) criminoso diximus, notanda quoque erunt decisuro quæstionem: An & quatenus is, qui delicturo *auxilium* tulit

y) STRYK d. *de imputat. facti alieni* c. V. nr. 53. seq.

tulit (§. XXVI.), uel delictum perpetrandum *non impediuit* (§. XXIX.), uel perpetratum *non reuelauit* (§. XXVII.) z), aut *ratum habuit* (§. XXIX.), criminosi socius haberi possit?

§. L.

ciuitatem,

Ciuitas denique participat crimen, quod a quibusdam tantum membris captum & adhuc continuandum, præuia deliberatione fouit *mandato, consilio, auxilio &c.* ad crimen plene peragendum necessario. Contra plane non participat crimen, quod, ubi rescit commissum, non puniuit, & minus plene tantum illud, quod iuuuit auxilio, consilio, mandato &c. sed uix necessario &c.

§. LI.

Quasi criminis

Quasi crimen est delictum culpa commissum (§. XXXI.). In culpa autem dicitur esse, qui non omnem adhibuit diligentiam, quam adhiberi iubent leges.

§. LII.

reis

Sic (1) in rebus licitis peragendis non seruans limites; (2) solus obdormiens, quum tamen sciuerit, se de noctu surgere aliosque inuadere a); (3) non uitans ebrie-

z) SCHROETERI d. *quomodo nuda scientia criminis quem inuoluat?* IDE *de iure silentii.*

a) THOMASIVS c. d. c. V. §. 16. BERGER *Elect. Jurispr. Crim.* p. 8.

ebrietatem, qua durante, se cum quolibet de qualibet re rixari solere, cognouit optime; (4) sine iusta causa irascens, aut dolorem capiens; (5) immoderato amore amicum prosequens *b*); (6) leuibus & in futurum seruatis adfectibus indulgens; (7) legem prohibitiuam obliuioni tradens &c. ubi delinquit, fit reus quasi criminis. Idem dictum uelim de eo, (8) qui ad iussum patris, magistratusue inferioris deliquit *c*); aut (9) ad unum ex duobus delictis committendum coactus maius commisit.

§. LIII.

Quia gradus culpæ uariant, omnibus non idem reus unius quasi criminis non idem semper, sed aliis plus aliis minus imputandum esse puto. semper imputari potest.

§. LIV.

Homines (1) in semetipsos, (2) in alios uolentes, (3) in nihil iniuriæ sentientes u. c. *infantes, dormientes, furiosos d*), *mortuos* delinquere, immo crimen committere posse, satis euicit MATTHÆI *e*); In quem delinquatur?

TIT.

b) SCHULTZII d. de delictis pro amico.

c) LEYSER spec. 602. m. 19.

d) FROMMANN de iure furiosorum p. 74.

e) c. l. proleg. c. 3.



TIT. IV.

DE

CAVSIS EX QVIBVS CRIMINA
REDDVNTVR VEL GRAVIORA
VEL LEVIORA.

§. LV.

Quæ crimi-
na reddant
graviora?

Eo grauius habetur unumquodque cri-
men, (1) quo maius est damnum eo
datum; (2) quo minus ab eo læsus se de-
fendere potuit *f*); (3) quo eminentior
persona læsa; (4) quo sanctior locus, dies-
ue, quo commissum; (5) quo a facino-
roso commissum est frequentius *g*); (6)
quo magis inordinati fuerunt adfectus,
qui ad illud committendum impulerunt;
& (7) quo plures fuerunt causæ singula-
res, cur ab eo abstinendum fuerit.

§. LVI.

Grauius quoque habetur crimen, (8)
quocum *concurrit* aliud, ad diuersum fi-
nem tendens. Sin utrumque, quod con-
currit, ad eundem tendit finem, unum
habetur *b*).

§. LVII.

Causæ cri-
men leuius
reddentes.

Contra leuius haberi solet crimen (1)
quod

f) KRESS. ad C. C. circa del. c. 2. §. 22. MAT-
THAEI c. tr. prol. c. IV.
art. 109. §. 2.

g) RICHTER d. §. 2. seq.
de aggrauat. delict. c. 2. *b*) SCHVLTZII d. de
TENZEL d. de iure princ. concurs. delict. c. 2.